



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

50. De his qui pro nihilo ducunt homicidium in bello perpetratum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Marc. 15.

Luc. 23.

Joan. 16.

Psal. 56.

Evangelista dicit Dominum crucifixum hora tertia, alius sexta; quia Judæi crucifixerunt eum hora tertia lingua, milites hora sexta manibus. Qui ergo hominem tradit, ille eum interficit, Domino dicente: *Majus peccatum habet qui me tradidit tibi.* Unde Psalmista: *Filij hominum, dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Subiciant ergo læ penitentia quorum consilio sanguis funditur, si veniam promereri volunt.

Cap. 4.

De his qui pro nihilo ducunt homicidium in bello perpetratum. *Ex epistola Rabani ad Heribaldum Episcopum Autisiodorensis, de pralio ad Fontaniacum gesto.*

Burchard. lib. 6. c. 23.

L. Quod autem quidam homicidium quod nuper in seditione & pralio Principum nostrorum perpetratum est excusant, quasi non necessarium sit pro hoc cuilibet agere penitentiam, eò quod jussu Principum peractum sit, & Dei judicio ita finitum. Scimus enim quod Dei judicium semper justum est & nulla reprehensione dignum. Sed tamen oportet eos considerare qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrum illos quasi coram oculis Dei innoxios excusare possint qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix est, & idolorum servituti comparatur, atque propter favorem dominorum suorum temporalium, æternum dominum contempserunt, & mandata illius spernentes, non casu, sed per industriam, homicidium fecerunt. Unde in Exodo scriptum est: *Si quis de industria & per insidias occiderit proximum, ab altario meo*

Exod. 21.

evelles eum, ut moriatur. Et in Deuteronomio: *Deuter. 19.*

Si quis odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, & surgens percusserit eum, & mortuus fuerit, & fugerit ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, & rapiant eum de loco refugij, & tradent eum in manus proximi ejus cujus sanguis effusus est, & moriatur. nec misereberis ejus. Illum itaque quem Dominus dignum morte esse judicavit, quis dicat reum non esse? Quomodo contrarius legi non existit qui hoc quod Deus præcepit cassum esse contendit? Sed inter hæc sciendum est quod magna distantia est inter legitimum Principem & seditiosum Tyrannum.

De eadem re. *Ex Pœnitentiali.*

L I. Si quis hominem in bello publico occiderit, quadraginta dies pœniteat.

De Clerico qui proximum suum occidit.

Ex eodem.

L II. Si Clericus homicidium fecerit & proximum suum occiderit odij meditatione, exul septem annis pœniteat.

De parricidis. *Ex Pœnitentiali.*

L III. Si quis hoc crimen perpetraverit, quidam judicaverunt ut septem annis pœniteat vel quatuordecim pœnitentiam egisset; quidam usque ad finem vitæ, sicut Cain, qui familia perpetraverit.

Ex eodem.

L IV. Qui hominem debilitaverit & de-